

Lapidis *Errhinum* præbeat egregium : quod verum est, & magis fit conveniens adhuc, si cum succo *Betæ* illinatur naribus, mox enim sternutationem movere solet. Sequitur *LAC*. In genere omne lac tribus constat substantiis. 1. *Aquosa*, & dicitur *Serum Lactis*. 2. *Pinguis* & unctuosa, & vocatur *butyrum*. 3. *Crasa* viscida & terrestris, quæ vocatur *caseus*. De Lacte in genere notum est, quod sit elegantissimum alimentum medicamentosum, & quod in genere bonitas lactis æstimanda veniat, auctore *HELMONTIO*, non ex proprijs qualitibus, sed ex qualitibus bestię, ejus sanitate, longævitate & salubritate : Nam quo longævius & salubrius est animal, eò convenientius est lac ad vitam longam. In genere notum est, quod animalia, quod salubriores comedunt herbas, eò salubrius fiat lac. Unde si herbis scorbuticis, quales sunt nasturtium, beccabunga, cochlearia, nummularia &c. nutriantur bestię, lac ipsum, quod per se scorbuticis prodest, eò magis erit appropriatum pro cura scorbuti : Item si nutriantur cum herbis vulnerariis, in specie hederæ terrestris, fit lac appropriatum pro cura phthiſeos, & ulcerum partium internarum. In usu lactis observetur, quod debeat assumi calidum; quò citius enim post emulſionem bestię ex bestia hauriatur, eò est melius; quoniam potest facile alterari ab aëre, ne ergo nimis alteretur, conveniens est, ut mox calidum bibatur. Hujusmodi lactis alteratio patet ex eo, 1. quod facile acescat, 2. quod paucò, postquam emulſum est, interjecto tempore in verminosam convertatur progeniem, & copiosos exhibeat vermiculos, si lactantillum aëri fuerit expositum. 3. Quod lac fit quasi *Magnes venenorum*, adeò ut tempore infectionis pestilentialis miasmatis lac contrahat vitium ex aëre, adeò ut quasi cœrulescat & liveſcat, qui livor est signum certum contracti vitij ex aëre, vid. *KIRCHERS* in *Scrut. Pestis*. 4. Vt terius patet, quod corona serpentina sive *Lapis serpentinus*, qui modernò est inventum, & de quo inferius, quando attraxit venena animalium in se per morsus illata, si injiciatur in lac, deponit in illo omne venenum, quòd ex animalium vulneribus venenatis hausit, adeò ut extractus ex lacte nullum amplius possideat; Ne ergo corrumpatur, aut vitium contrahat lac, optimum est, ut bibatur calidum adhuc & simul atque fuit emulſum.

In genere lac convenit pro nutriendis partibus : adeoque in atrophia, in hectica & in tabe, uti etiam in similibus morbis est optimum alimentum medicamentosum, quoniam potenter nutrit. Deinde lac quoque convenit in temperandâ quacunquē humorum acrimoniâ, ratione partis oleosæ pinguis & butyraceæ, uti etiam ratione \ominus vol. \oplus : ratione harum virtutum specificè convenit in scorbuto, adeò uti in illo curando nihil sit melius, imò divinum & præsentissimum est remedium. Et licet in quibusdam morbis fit noxium lac, in scorbuto tamen est optimum. Præterea prodest in hectica, in qua peccans & ineptum acidum in

partibus obortum delet : Conducit in phthiſi, dum temperat acrimoniam humorum, ne corrodingo pulmones augeat malum. In omnibus partium internarum exulcerationibus, v. gr. in ulcere renum, hepatis & similibus prodest; Ratione enim partis serosæ abstergit pus, & temperat acrimoniam humorum: ratione autem partis butyrosæ adjuvat consolidationem ulcerum. Ratione virtutis temperandi acrimoniam humorum mirè convenit in affectibus urinaris ex nimia feri acrimoniâ & corrosivitate, v. gr. in mictu cruento, dysuria seu ardore urinæ, stranguria & similibus urinaris affectibus. In *Dysenteria* valde perè convenit, quoniam temperat acidum, quòd corrodit intestina : in qua dysenteria modo assumitur per os, modò sub forma clysteris injicitur per anum, utroque usu prodest, & quidem in dysenteria convenit istud lac, in quo aliquoties ferrum vel Chalybs ignitus fuit extinctus, & vocatur lac chalybeatum. Externè quoque balnea ex lacte solent usurpari, ubi est nimius squalor & nimia exsiccatio partium in tabe & atrophia: humectat enim leniter, & blandè partes aptas reddit ad recipiendam nutritionem. Observetur autem, quòd in usu lactis debeant vitari omnia acida, ne possit induci coagulatio lactis : unde cum lacte permiscetur aliquid sacchari vel aliquid de sp. urinoso, v. g. \ominus * vel simili, ne possit fieri coagulatio : Saccharum enim potenter impedit coagulationem ; Et si injiciatur tantillum sacchari in lac, non potest præparari exinde vel butyrum vel caseus. Pessima namq; omnium est lactis corruptio, quando coagulatur, sic enim inducit colica tormina, choleram, infarctus mesenterij, cachexiam & alia vitia. Dieta lactis & lacticiniorum, quando est instituenta, fit hoc modo : Jejuno stomacho assumitur bonus haustus lactis simplicis vel medicatæ ; in scorbuto cum *Essentia cochleariæ*, in phthiſi cum *Essentia hederæ terrestris* vel *Essentia vulneraria* : post haustum instituitur moderatus motus, & per 3. horas imperatur jejuniū : post prandij tribus horis ante cenam denuò assumitur eodem modo ac manè, & jejuniū iterum imperatur, ut fiat distributio. Et hæc est methodus usurpandi lac in diæta ordinanda pro cura morborum ; & in hac omninò exulare debent acida tam in potu, quàm victu & in alijs assumptis. Caterum nocet lac ijs, qui laborant febribus tam continuis, quàm intermittentibus quibuscunquē & alijs acutis, propter facilem effervescentiam & alterationem, quoniam, uti dicunt, bileſcit, auget effervescentiam, & facit acriorem & acerbioram. Hoc autem intelligendum est de febribus intermittentibus & acutis vulgaribus : Nam in febre intermittenti scorbutica assumitur bonus haustus lactis in die intercalari, vel etiam 7. vel 8. horis ante paroxysmum, & mirum prodest. Deinde in affectibus capiti, in cephalalgia, vertigine, epilepsia & similibus non est conveniens lactis usus, nam per se solet inducere dolorem capitis : Nihilominus si sit ex scorbuto, usitatissimè usurpatur internè haustum, vel externè fomenti loco capiti applicatum